

Imbecillam felicitatem et casus ancipites inculcant, multaque in hanc sententiam dicunt: si debellentur, suam cladem sine ullo regis commodo esse posse, victoriam non sine maximo ejus detrimento.

«Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet. Altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc adsecutus, scire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quae non capis. Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam. Deinde, si humanum genus omne superaveris, cum sylvis et nivibus et fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum. Quid tu? ignoras, arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit: et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. Quid nobis tecum est? Nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis sylvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus. Dona a nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores: jugum boum, aratrum, et sagitta et patera. His utimur, et cum amicis, et adversus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quaesitas: patera cum his vinum diis libamus. Sic Syriae regem, et postea Persarum Medorumque superavimus, patuitque nobis iter usque in Aegyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire; omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos habes in potestate, Indos petisti. Jam etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus est, quae te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, ut, quo plura haberes, acrius, quae non